

nec dolor ita intensus, ut in antecedenti casu. Circa cervicem adparet quidam tumor, compressâ cervice dolor exacerbatur, ob inflammationem musculorum externorum.

§ 5. *Συδάγχλω* adesse indicant respirandi difficultas minor, deglutitio sublata, ita ut assumpta liquida per nares retrudantur.

§ 6. In *ἄσθουδάγχη* deglutire quidem nonnihil possunt ægri, magno tamen cum dolore, respiratio est levior, rubor ac tumor circa collum & pectus manifestè conspicitur, qui adeò nonnunquam augetur & ingravescit, ut in consensum quoque trahat ligamenta vertebrarum colli, quibus intrò tractis, luxatio suboritur. Videatur *Hercules Saxonia loco supra citato*.

§ 7. Anginam ex luxatione colli vertebrarum enatam plerumque manifestant causæ evidentes & violentæ. Aliàs
 (f) 2. Epid. clarè proponuntur à *Coo* (f) ipsius signa, quæ ibidem videantur:
 sect. 2. quemadmodum & *Commentarius Galeni*, qui hunc in lo-
 (g) lib. 4. de cum extat, (g) lectu dignissimus.
 loc. aff. c. 3.

§ 8. SIGNA CAUSARUM INTERNARUM variant pro diversitate humorum inflammationem gignentium. Si orta fuerit angina ex *sanguine abundante*, aderit plethora, temperamentum sanguineum, ætas juvenilis, tempus anni vernalis, præcessit aëris constitutio calida & humida, præcedens victus fuit aptus multo sanguini generando, color faciei est rubicundus, faciesque calorem & ruborem habet intensum, sapor in lingua percipitur dulcis, febris adest continuo affligens cum magnâ deglutiendi ac respirandi difficultate.

§ 9. Si causa *biliosus humor*; complexio corporis erit cholericæ, ætas juvenilis, constitutio aëris calida & sicca, victus adfuit huic humori producendo idoneus. Dolor adest acris & mordax, pungens & vehemens, ob bilis acrimoniam, sapor linguæ amarus, ob ejusdem effusionem, color faciei flavescens, febris ardens & peracuta, qualis esse solet, à bile quæ ortum ducit, sitis intolerabilis.

§ 10. Si à *pituitoso succo* originem malum traxerit, præditum

tum